
GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

HYDRENCEPHALO ACUTO

CONTINENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS INGLIS,

Scoto-Britannus,

CHIRURGUS.

Miserrimum genus morbi. CELSUS.

Haste, haste, he lies in wait, he's at the door,
Insidious death! YOUNG, N. II.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXVII.

PATRI AMICISSIMO

ANDREAE INGLIS,

ARMIGERO,

APUD KIRKCALDY IN COMITATU FIFENSI,

S. P. D.

JACOBUS INGLIS.

Tibi, carissime Pater, quantas, ob curam pueritiae et juventutis meae paternam, et permulta beneficia nunquam obliviscenda, grates debeo, dicere haud omnino possum. Hanc Dissertationem, animi in te semper grati et pietatem observaturi testimonium et pignus, tuis meritis in me maxime indignum, accipias oro. Diu vivas et valeas, tibi aurae felices semper afflent, serus in coelum redeas, imo pectore voveo. Vale.

Edinburgi, Idibus Julii,
Anno Sal. Hum. MDCCCXVII.

VIRO EXIMIO

JACOBO BROWN JOHNSTON, M. D.

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.

APUD KIRKCALDY IN AGRO FIFENSI,

ARTEM APOLLINAREM FELICISSIME FACIENTI;

BENEVOLENTIA,

MORUM SUAVITATE ET VITAE INTEGRITATE

INSIGNI;

QUO AUSPICE, ARTIS MEDICAE PRINCIPIA

DIDICI;

OB SUMMAM COMITATEM

MULTAQUE BENEFICIA IN ME COLLATA,

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS

OBSERVANTIA QUAM MAXIMA

DEDICARE

VOLUI.

CARO FRATRI

GEORGIO INGLIS,

MAG. BRIT. IN EXERCITU

CHIRURGO;

HOC OPUSCULUM,

PIETATIS FRATERNAE HAUD MINUS QUAM

AMICITIAE SINCERAE

MONUMENTUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

To

Dr Thomson

With Respectful Compliments
from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDRENCEPHALO ACUTO.

QUAEDAM PRAEFANDA.

1. Mihi, pauca de Hydrencephalo, legibus nostrae Academiae jurè celeberrimae obtemperanti, pro tentamine inaugurali, quâ par est diffidentiâ, agere proposui; non quia quicquid novi rei totiès multisque medicis gravissimis jam agitatae, adjicere, sed fretus penitùs ferè eorum scriptis et observationibus, minimè experientiâ meâ necessariò plurimùm exiguâ, historiam accuratam tradere, et remedia morbi maximè idonea quodammodò exponere, speraverim, cujus clades miserandas nimis saepè vidi, moestusque dolui.

2. Haud parùm profectò mirum est, morbum in symptomatis tam gravissimum, in effectibus raro non lethalem, hodieque tam frequentem, ne veteribus patuisse; vero autem ab hoc iniquum certè concludere foret, ut, quia eum illi non descripserunt, tunc temporis non existeret, neque quamprimum inter homines grassabatur, ejus natura detegeretur. De natura quidem, et morbi curatione, memoriâ multo recentiore, parum cognitum erat; quamvis enim in scriptis aliquot medicorum, qui tum floruerunt, signa hujus similia, pessimi sane ominis, notantur, tamen ne haec inter et quaedam alia cerebri mala diagnosin proponere, aut magis adhuc medendi rationem diversam commendare, conati sunt.

3. Doctori Whytt celeber. in hac Alma Academia nuper Professori, summa diligentia viro, utì primo, qui historiam accuratam scripsit, malum discretum docebat, et scientiae ejus perfectioris, qualiscunque demum haec sit, viam sternebat, laus jure debetur. Ab eo tempore, per disputationes magnae contentionis, plurimis tractatus fuit, et adhuc

disputatur; sed parùm novi de historia ejus observationibus hactenus fuit adjectum, nisi quorundam paucorum signorum, iis, apud eum, morbi accessum denotantibus, priorum recensio, sane haud levis momenti, ut venienti occurrere morbo, summa ope extemplò conemur. Symptomata quoque in stadia tria ordinata adeo naturalia et perspicua existunt, ut omnes fere medici recentiores ejus exemplar maxima parte consecuti sunt. Ejus opinio de causa continente nunc plerumque falsa existimatur, et ut, "the cure of diseases is chiefly, and almost unavoidably, founded in the knowledge of their proximate causes[a]," non omnino mirum, medendi rationem ex principiis falsis pependisse, et semper infelicem fuisse.

CAP. I. DE NOMINE ET DEFINITIONE.

I. Perpauci si ulli morbi in Nosologia enumerati inveniantur, quibus nomina plura

---

[a] Cullen, First Lines of the Practice of Physic, vol. i. p. 25.

imposita fuerunt, quoque, nimirum, secundum suas cogitationes de causa proxima eum denominante ; neque reverà adhuc nomen prorsus idoneum excogitatum fuisse videtur. Primùm illi apud plerosque Hydrocephalus Internus, postea Acutus vocabula erant. Aliis aliisque Hydrocephalus Phreniticus, Apoplexia Phrenitica, Febris Hydrocephalica, Cerebri Inflammatio, et demum Doctori Rush, in stadio primo Phrenicula, in secundo autem Apoplexia Chronica, cognitus fuit. Mihi, donec magis de causa proxima constet, illo verbo, optimè cognito, vocare placuit ; cum eo autem, ut Hydrencephalum a Doctore C. Smyth[b] ei impositum, potiùs quam Hydrocephalum anteposuerim, propterea quod ille cerebri hydropem, hic vero capitis tantum designat. Minimè tamen dissimulandum, hoc etiam sua incommoda habere ; quippe quia effusio in ventriculos, nunquam nisi sub finem accidat, interdum profecto nullus ibi loci fluidus post mortem detegi queat ; et igitur effectus, non certe morbi causa ha-

---

b Treatise on Hydrencephalus. By James Carmichael Smyth, M. D.

beri debet. Aliis omnibus pariter justè objectum sit.

II. Doctor Cullen in Classe ejus Nosologiae NEUROSES, et Ordine COMATA posuit, et sic definivit : " Apoplexia (Hydrocephalica) paulatim adoriens ; infantes et impuberes, primum lasssitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillae dilatatione, et somnolentia afficiens." Quantum haec definitio haud perfecta existit, ab historia statim proferenda, pateat ; nam quaedam magni momenti ab illo omittuntur.

CAP. II. HISTORIA MORBI.

III. Nunc demum planè constat Hydrencephalum pueros inter annos duos et duodecim plerumque afficere, quamvis etiam quosdam multò plures natos obrepserit. Exempla benè multa hominum ultra annum quadragesimum et etiam quinquagesimum ab eo laborantium, in lucem edita fuerunt, et quae revera hujus morbi fuisse, cadavera patefacta

luculenter demonstrabant. Noster in hac Alma Academia praeclarus Professor Gregory, in ejus praelectionibus, se aegrum qui annum quadragesimum et septimum impleverat in curam accepisse, monet, et Doctor Lettsom[c] se omni aetate infra sexaginta eum tractâsse. Infantes ubera pendentes quoque haud raro ab hoc malè experiuntur; neque quidem foetus dum in utero latet, prorsus ab eo immunis fieri interdum videtur. Nonnunquam pueris alioquin valde sanis, actuosis et vividis,[d] plerumque autem iis, quorum parentes a scrophula laborârunt, et ipsi sunt strumosi, accidere observatur.

IV. In omnibus ferè casibus tardiùs et valdè insidiosè obrepit, symptomatis nimirum ambiguis comitantibus, quae ea morborum aliorum, praesertim primae viae multùm referunt; ideoque non deprehensus tantum progrediatur, ut omnis medici peritia, ad sanitatem reddendam vix unquam, vel saltem difficillimè, et aegro multùm cruciato, valeat.

---

c Medical Memoirs, Vol. i. p. 179.

d Fothergill, in Lond. Med. Obs. et Inq. vol. iv. p. 50.

Nonnullos autem subitò et vehementèr, gravissimis indiciis et decursu expeditissimo, adoritur.

V. Signa plerumque ad tria capita vel stadia, secundum pulsuum statum, et corporis conditionem nimis sentientem aut torpidam referri possint, de quibus singulis perpauca disputare transeo.

1. STADIUM PRIMUM.

VI. Ante accessionem Hydrencephali semper ferè aegrotus paulatim et tardè minus solito vegetus fit, languidus, iracundus et moestus ; omnia verò quae subinde pro tempore quodammodo decedant. Frequenter sine ulla causa manifesta oscitare, et hoc pariter mane ac vespere, solet. Vultus pallescit, forma oris collabitur, oculique cum linea nigricante se infra hebescunt. Inter somnum exilit et insomniis horrificis vexatur, saepe etiam perterritus expergiscitur. Indicia viscerum abdominis affectorum prius se produnt, quam vitium cerebri quodvis percipi possit. Hypochondria tument, distentio et quasi inflatio

in ventriculi regione observatur. Jecur quoque ampliatur et interdum dolet, aliis de ingenti quadam molestia, his partibus compressis, tantum conqueritur. Quaeque in ventriculum ingeruntur acescunt; signum vero hujus primi stadii prae omnibus maximè constans reperitur alvi torpor, quippe quia constipatio semper plus minusve adsit, et dejectiones, sive arte sive spontè factae, foetidae et coloris lutei existunt, quod actionem jecoris imminutam, et fel vitiatum planè docet.

VII. Pulsus hoc tempore neque quoad frequentiam, neque vim aut regularitatem, minimè a solito deflectit. Quum caput afficitur, minùs de dolore vel acuto vel obtuso, sed crepitu quodam molesto et confusione conqueritur; aliis quoque ejusdem externè dolore, si comprimatur vel fricetur.

VIII. Quidam aegri malis statim recensendis solis afficiuntur, ab illis supra dictis vel penitus vacui, vel si his laborârunt, cuncta nunc ingravescunt. In situ recumbente se continere magis delectat; languor et lassitudo multa, febris, sitis molestant; sensus frigoris, quamvis cutis praeter naturam calida

et arida, percipitur; pulsus frequens et fere durus, plenus, et simul regularis, raro autem validus fit; et sanguis e vena magna missus, tunicam coriaceam semper praebet. Arteriae temporales et caroticae fortiter micant, venaeque capitis et cervicis multum distentae tument. Lingua interdum praeter solitum munda, saepius albida et sicca, vel rubra et nitens observatur. Vultus vicibus alternis rubet et pallet. Functiones ventriculi plurimum turbantur, et nausea vomitusque molestissimus raro absunt, adeoque urgent, ut, situ mutato, veluti capite a pulvino levato, aut cibo vel mitissimo devorato, superveniant. Nonnullis distentio circa ventriculi et jecoris regiones, siqua fuerit, nunc valde decrescit.

IX. Caput hoc tempore interdum totum acerrime dolet, sed saepius pars singularis, veluti circa supercilia, verticem, vel latera; et tum ad id latus, quo dolor sentitur, est conversum. Vomitus et dolor vicissim aliquando saeviunt, scilicet, quando ventriculus multum irritatus, cephalaea levior fit; et contra, haec gravis, ille mitior vel nullus existit.

Dolores etiam cervicis, inter scapulas, et extremitatum, imprimis autem abdominis adsunt; et quoque tunc cephalaea fere levis reperitur.

X. Alvus modo pertinaciter adstricta, modo vero valde soluta torquet. Insomnem noctem miser ducit, vel si nonnihil dormierit, somniis horrificis perturbatus et expergefactus, haud multum reficitur. Inter somnum exilit, dentibus frendet, et nares, quae per totum morbi cursum aridae sunt, scalpit; ita ut hunc inter et vermes nonnunquam confundatur. Sensuum organa plurimùm sentientia fiunt. Auditus, nimirum, adeo acutus, ut sonus levissimus universum quasi corpus concutit, et tactus pariter acutus, fiunt: oculi rubent et lucem tolerare nequeunt, quâ admissâ, admodum et vehementer coarctantur pupillae. Subito exclamat, et saepè delirat, cum respiratione accelerata, plusque solito difficili. Remissiones frequentes irregulares patitur, et exacerbatio vespertina semper eum cruciat, quae sub horas matutinas fugatur.

2. STADIUM SECUNDUM.

XI. Indicia jam recensita plerisque in exemplis, per aliquot dies, aut hebdomadas etiam durant, quamvis illi, pariter ac aliis stadiis, certi limites haud rectè statui possunt. Multa serius ocyus gravescunt, aliaque simul nonnihil mutantur. Genus nervosum demum torpescit; et pulsus antea frequens, regularis, nunc ultra modum tardus, languidus, intermittens et inaequalis, quodque ad vim et intervalla, micat; interdum verò celer et intermittens, sensumque chordae quasi tensae digito exploranti praebet. Febris accessiones, et sitis nihil omnino decrescunt, imo verò multo graviores infestant; et quamvis sanguinis impetus imminutus, calor corporis magis auctus et urens, sentitur. Auditus gradatim eò usque obtunditur, ut fere penitus deleatur. Pupillae maximè patulae, neque luci in oculum admissae minimè parent. Strabismus quoque plus minusve conspicitur, et unus vel utrique oculi

aut ad nasum aut ad tempora aliis in exemplis convertuntur; et visum vel duplicem vel nullum aeger habet. Supercilia saepe corrugantur, et vultus angorem maximum depingit; genae, vel interdum alterutra, nunc rubent, nunc pallent. Plerisque magis in hoc latere quam in illo decumbere juvat. Dolores capitis multo acutiores et frequentiores excruciant, saepiùs exclamat, miserandus luget, ejus manum capiti subinde admovet, et nonnunquam quasi animam agens, gemitus altos edit, quem statum hisce in verbis, Doctor Yeats descripsit. "For a few minutes there will be a perfect silence and quietism, with a fixed steady stare of the eyes, and a very great dilatation of the pupils, when a sudden start will take place, with a loud screaming and a quick tossing of the arms over the head."[e] Coma ex quo vix aut ne vix quidem, et certè in quod statim denuo delapsurus, excitari queat. Quibusdam delirium ferox saevit, aliis autem typhomania.

---

[e] A Statement of the Early Symptoms which lead to the disease termed Water in the Brain, by G. D. Yeats, M. D. p. 71.

Nausea et vomitus haud minimè mitescunt; appetitus cibi saepissime, ut primo, nullus est, tamen raris in exemplis, aeger quicquid alimenti concessum avide devorat.

XII. Alvus magis adhuc obstipatur, vixque purgantibus validissimis movenda, et dejectiones, siquae fuerint, admodum parcae, foetidae, nigricantis coloris vel virides et oleosae dejiciuntur; nec vermes hoc modo redditi, morbum omnino leniunt. Respiratio frequens, difficilis, et saepe suspiratione interrupta, spiritûsque peculiaris valde ingratus est foetor. Urina admodum parca plerisque redditur, et saepe in vesica multò diutiùs justo retinetur. In hoc, denique, statu morbi progresso, aliquando per paucos dies remissiones adeo fallaces aeger experiatur, quales parentes solicitos, imo verò medicum minus diligentem ipsum decipiant, et spes nuper accepta, alia accessione, citius in nubem cedit.

3. STADIUM TERTIUM.

XIII. Hoc stadium adesse dicatur, siquando paucis diebus ante exitum lethalem, pul-

sus, primo frequentes et regulares, autem in secundo tardi et irregulares, celerrimi ita ut ad vices ducentesimos in minuto horae micent, et aequales denuo sint facti; interdum sanè tam velocissimi et debiles, quam a medico vel expertissimo enumerari nequeant; stupor adhuc major, et si quidem excitari potest, deliret; vultus collapsus et pallidus, una cum labiorum livore, temporibusque quasi depressis; oculi nonnihil aperti et materia glutinosa obducti, pupillae dilatatae et immobiles, luce admodum vivida haud afficiendae, neque visus demum misero contingat. Tremores quoque et convulsiones artuum facieique et oculorum musculos rapiunt; hoc autem in uno latere, soluto altero, aliquando accidit. Sanguis denique e naribus profluit, facultas exclamandi et devorandi deletur, spiritus celer, difficilis, et cum stertore reciprocatur; sudor viscosus et frigidus, sed inaequaliter, imprimis super pectus et crura, diffusus, erumpit; et cutis ubique corporis, extremitatum praecipue, maculis rubris ornatur. Subsultus tendinum eum agitat; urina plurima, pariterque ac faeces sine volun-

tate, redditur, donec eum convulsum, supplicio gravissimo, mors jam fere optata, eripiat.

XIV. Decursus Hydrencephali jam recensitus longè maximè generalis reperitur, magna diversitas autem de hac re in aliis existit; etenim, quamvis stadia in quae, ut supra dictum est, morbus procedens est divisus, plerumque satis manifeste notantur; tamen haec in omnibus exemplis constantia, aliaque et alia in eo ordine, accidere minimè credendum est. Casus plurimi, a Doctore Cheyne et multis aliis medicis, memorantur, in quibus parum vel nihil doloris aut capitis aut alicujus corporis partis sentiebatur; aliis lucis intolerantia, nausea et vomitus prorsus abfuerunt; aliis nec pupillae patulae, strabismus, nec pulsuum mutationes accedunt. Insignem pueri casum qui nullum indicium Hydrencephali prodidit, Doctor Quin narravit, etiamsi, corpore patefacto, magna laticis aquosi copia in cerebri ventriculis inveniebatur. Convulsiones demum haud raro malum primò, a quibus paucis diebus aeger jugulabatur, existere indicabant.

XV. Inter medicos de spatio temporis per quod hic morbus duret, non satis adhuc constat; et quidem in diversis varium celebratur. Alii magni nominis vix unquam amplius tribus hebdomadis produci, alii verò neque minoris nominis per quinque vel sex, et etiam in quibusdam casibus raris per aliquot menses durare, asseruerunt. In plerisque opinio illa magis accurata, et cursum in una vel duabus septimanis, aut paucis tantum diebus implere, reperietur.

CAP. III. QUAE CADAVERA PATEFACTA OSTENDUNT.

XVI. Quum cadavera eorum, qui huic morbo tristi procubuerunt infelices, inciduntur, alia in aliis exemplis secundum stadium, sive primum, sive provectum, spectantur.

XVII. Meninges, calvario amoto, ruberrimae, quasi inflammatae, et in multis partibus, lymphae coagulabilis maculis incrustatae, harum ipsarum, et cerebri simul vasis distentis, et sanguine admodum plenis, observan-

tur. Membranae valde crassae quoque factae, saepe inter se concrescunt. In quibusdam casibus, parva quantitas laticis aquosi inter tunicam arachnoideam et piam matrem, et hanc superficiemque etiam cerebri, effunditur. Inferiores cerebri partes, nimirum quae in basin cranii innituntur, inflammationis signa manifesta, ibi lymphae copiâ magnâ effusâ, ostendunt. Foramen Monroianum plerumque ampliatum est, nonnunquam autem penitus occlusum, quod fluidi tali in casu, ad unum ventriculum coërciti causa videtur. Substantia cerebri, praesertim quae ventriculorum parietes et fornicem efficiunt, fere mollis, dealbata et fimbriata existit.

XVIII. Si aegrotus inter stadium primum mortuus fuerit, parum vel fluidi praeter solitum nihil in ventriculis reperietur; si verò morbus in stadio provecto eum jugulaverit, tectum ventriculi, parte superiore hemispherii desecta, magis solito prominens se prodit, et digito ei admoto fluctuationis sensum praebet. Cum demum aperitur, aliquid humoris puri, limpidi, cujus copia ab unciis

duabus ad decem vel duodecim variet, statim prorumpit. Plerumque in cavis cerebri omnibus, aliquando autem tantum in quovis ventriculi laterali accumulat. Hunc ad cogendum, plerisque medicis, ut neque acida neque calor valeant, probè persuasum est. Doctores Blackall [f] et Baillie [g] nihilominus, non sanè in omnibus exemplis, ut coiret ope acidorum, efficere potuerunt; et Doctor Yeats, [h] fluidum in ventriculis cerebri adhuc sani repertum non coire, quamvis hydrencephalo affecti, acidis admistis, materiae coagulabilis praecipitationem planè demittere, monuit. Tumores magnitudinis diversae quoque in variis hujus partibus saepe formantur, ferè situm occupantes, ad quem dolor fuerat relatus, quamvis quidem vix ulla pars intra caput est, cui hi non aliquo exemplo acciderint. Interdum suppurâsse, et quod in iis continetur abscessûs strumosi materiae admodum simile, observantur. Hydatides haud

---

f On the Nature and Cure of Dropsies, Passim.

g Morbid Anatomy, p. 449.

h On Hydrencephalus, p. 108.

raro in plexu choroideo, qui praeter solitum vasis refertus esse solet, et glandula pituitaria saepe morbida, conspiciuntur.

XIX. Viscera abdominis, multis in exemplis, a statu sano et naturali haud parum deflexisse videntur ; jecus imprimis inflammationis vestigia plurima, amplificationem nimirum, colorem rubrum floridum, ingentem vasorum minutorum multitudinem, cum peritonaeo praeter naturam adhaesiones, et in ejus superficie multa tubercula albida, clare praebet. Intestinis tum plenioribus tum tenuioribus, adfuisse manifestè videtur inflammatio, quippe quae saepe maximè ampliata et a flatibus valdè distenta sunt, colorisque rubri et ad speciem gangraenae interdum spectantis. Quandocunque irritatio magna ventri adfuerit, raró accidit, quin intestinorum tenuiorum constrictionem et introsusceptionem inveniamus. Ventriculus quoque et lien inflammationis participes facta fuerunt, et hic pariter ac jecus tuberculis nonnunquam ornatur. Glandulae mesentericae frequentius tumidae et durae, interdum suppuratae, reperiuntur, vel materiam caseam

continentes; eademque lymphaticis in aliis corporis partibus contingant. In uno casu, quem Dominus Abernethy tractavit,[i] nihil aquae ubivis cerebri erat detectum, solaque signa morbida, quamvis aeger ab omnibus solitis indiciis hydrencephali laboraverat, in abdominis visceribus apparebant; et hujusmodi quidem exempla multi medici iterum iterumque viderunt, quorum pleraque, si non omnia, erant adeo gravia, ut aegroti, haud multo post morbi accessum animam agerent, et priusquam congestio intra caput facta esset; etenim, quâ diu perstante, non fieri potest, quin multum fluidi semper effundatur.

CAP. IV. CAUSAE.

XX. Nihil fortasse ad salutiferam artem promovendam, et eandem generi humano utilem reddendam, plus contulit, quam investigationes de causis morborum, quibus tam multis corpus objicitur, bene institutae, et

i Surgical Observations. On the Constitutional Origin and Treatment of Local Diseases, p. 206.

igitur, in hujusmodi opusculo summo jure attentionem vindicant: "Neque enim credunt, posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret.[k]" Haec in causas Remotas et Continentes, remotae iterum in Praedisponentes et Excitantes, dividantur. De Hydrencephali causis, proximum est, ut breviter disputemus.

CAP. V. CAUSAE PRAEDISPONENTES.

XXI. Ut infantes et juvenes multò frequentiùs aggreditur, forsitan prima aetas haud ineptè proclivitatem dare consideretur; namque tum caput cum reliquo corpore comparatum, grandius conspicitur, et ideo plus sanguinis desiderat, unde causae excitantes postea exponendae, facilius agunt. Quovis anni tempore accidere observatur, sed per aestatem Doctor Cheyne eum saepius vidisse monet. Ex omnibus scriptis casibus comparatis, pueros, ineunte aetate, quam puellas,

---

k A. Corn. Celsus De Medicina. Lib. i. p. 3.

sed provectiore, has potius afficere videtur. Unius familiae pueri, Doctor Quin narrat, fere omnes malo succubuerunt, puellae vero incolumes effugerunt. Strumosi, nimirum cute nitida, oculis plenioribus caeruleis, labio superiore tumido, aliisque hujus constitutionis notis externis praediti; illi quoque hilarioris animi, et ingenii ad annos praeter solitum acris, saepe afficiuntur. Liberi saepe proclivitatem ad morbum a parentibus accipiunt, et igitur hereditarius vocari possit. Doctor Cheyne in curam familias duas, quarum ex altera tres, alterâ quatuor ab eo moriebantur, accepit; ex quadam, porro, undecim obiisse certior factus erat. Hujusmodi in casibus cum scrophula conjunctissimum esse videtur. Caput nimis calidum conservatum, cursum sanguinis eo incitando, interdum faciat, ut in illum incidant.[1] Injuriâ capiti inter partum illatâ, debilitate, a Variola, Scarlatina, Rubeola multisque aliis morbis inductâ, originem ducere apparuit. Tres casus Doctor Gregory in ejus praelectionibus, post mammae excisio-

---

1 Clark on the Diseases of Children.

nem accidisse notat, et eos ex constitutione strumosa pependisse putat. Haud raro nihil propensionis ante accessionem, sanissimis, qui videntur, subito correptis, se prodit.

CAP. VI. CAUSAE EXCITANTES.

XXII. Interdum quaenam morbi causa excitans fuerit, cognitu difficillimum est; aliàs satis manifesta patet. Causae in externas, vel quae directe cerebro nocent, et internas, vel quae eidem, totius corporis interventu, dividantur. Ad illas imprimis, haud inepte referri possit, injuria capiti illata, veluti ictus, lapsus, aut aliae vires mechanicae; quamvis Doctor Cheyne dixit, unum tantum ex centum exemplis vi externae ullo pacto tribui potuisse, et illud etiam potius a catarrho, cum quo aeger prius affectus fuerat, excitatum putabat; imo vero solum proclivitatem, si demum hic quicquid facit, inducere, vel scrophulam latentem excitare, contendit. Inter externas quoque dicantur, insolatio, quidam corporis situs, ludi minus idonei, quorum om-

nes actionem vasorum cerebri auctam, laticisque tenuis effusionem, efficere queant. Ob haec fortasse, mares quam faeminae in eum frequentius incidant.

XXIII. Internae autem longè saepissimè morbum excitant, quarum princeps, ut nonnulli putant,[m] est irritatio vel actio viscerum abdominis incitata, veluti a cibo concoctu haud facili, faecibus in intestinis accumulatis, aut vermibus, facta. Inflammatio jecoris quaedam, ejus functionibus turbatis, Hydrencephalum praecurrit. Hoc perspicuum est a dolore sub pressura, et aliis ejus morbi notis propriis, fellis defectu, ut color stercoris docet, Hydrencephalo per purgantia et hydrargyrum sanato, quae statum intestinis et jecori magis sanum conciliant, et indiciis demum in iis partibus inflammationis manifestis per cadaveris sectionem patefactis. Hic concoctionis organorum status morbidus, vel consensu bene noto, vel sanguinis transitu per ipsa minus libero, unde congestio ibi loci, et ideo penus humoris major ad cerebrum mis-

---

[m] Cheyne; Yeats; Hamilton on the Utility of Purgative Medicines.

sus, quam suis functionibus justis conveniret, malum facere possit. Infantes inter dentitionem, fortasse ob irritationem ingentem, et ad caput fluxum tunc temporis sanguinis insolitum, saepe adoritur. Causa altera est subitae temperiei mutationes, et quendam Doctor Percival memorat,[n] aquâ frigidâ haustâ, protinus in eum illapsum fuisse. Tumores in cerebro, alibi dicti, et exostoses vel spiculae osseae ex interiore cranii superficie projicientes, haud immerito huc referuntur. Evacuationes solitae, nimis subitò suppressae, ulcera vetusta et etiam Ophthalmia sanata, eruptiones super cutem et tinea capitis malè repulsae, morbum induxisse interdum dicuntur; et raris in exemplis urina suppressa. Propter nixum in pertussi vehementem, et fluxum sanguinis ad caput valdè expeditum, ejusque reditum aliquatenus interruptum, malum haud raro oritur.

XXIV. Quorundam casuum historias literis Doctor Blackall mandavit, quibus argentum vivum sine discrimine pueris exhibitum,

---

[n] Medical Facts and Observations, vol. i. p. 125.

ortum dedit, et calomelanos usum, praesertim post Scarlatinam, cui sanè Hydrencephalus saepe succedit, et in iis constitutionis strumosae, causam excitantem multò frequentiorem esse, quam vulgo existimatur, ille proposuit; nam si plenius purget, debilitatem ingentem, sin minus, statum corporis inflammatorium, efficere. "Altogether, the excellence of this remedy in many, even infantile, cases, its cleansing powers, its inflammatory and its debilitating action, render it a two-edged sword.[o]" Denique, quaecunque vel corpus universum infirmant, vel sanguinem in cerebrum praeter solitum propellere possunt, inter quae, febres Intermittentes, Remittentes et Continuae, Phthisis, Exanthemata, Rheumatismus, Paralysis, Melancholia, Colica, Dysenteria[p] enumerantur, plurimum accessui favent.

---

[o] Blackall on Dropsies, p. 249.

[p] Rush, Med. Inq. and Obs. vol. ii. p. 211 et seq.

CAP. VII. CAUSA CONTINENS.

What the cause,
The wond'rous cause, of this mysterious ill?
Young.

XXV. Quod ad causam proximam pertinet, diu multumque disputatum est, et medici celeberrimi in arenam descenderunt, quorum certamine sane plurimum fuit detectum, sed etiamnum multum cognoscendum, et adhuc sub judice lis est. Aliquot de ea opiniones prolatae fuerunt, in duabus autem nunc medici praecipue insistunt. Altera imprimis ab Whytt docta, generaliter accipiebatur, et justa agnoscebatur, donec Quin alteram omninò diversam in medium ferebat, cui, ut multo meliùs res omnes morbo proprias exponit, maxime nunc confiditur. Nuper tamen Doctor C. Smyth illam, ubique ferè rejectam, denuò revocavit, et strenue defendit. Quod si testimonia utriusque sententiae diligenter reputemus, non diu dubium sit, ut opinor, quin illi, quae in morbum inflamma-

tionem habentem innititur, fidem maximam dedamus.

XXVI. Doctor Whytt hunc hydropi conjunctissimum, vel potius hydropis speciem existimabatur, et igitur, ex iisdem causis pendentem, nimirum, tali partium cerebri affectarum conditione, qualis, ut vasa exhalantia tantum humoris tenuis effundant, quantum resorbentia exhauriri non possent, efficiat.[q] Talem aliquando statum cerebro existere posse, perinde ac aliis corporis partibus, negari nequeat, et in stadio ultimo existere certum est; sed signa quae ex illa effusione nascuntur, iis primum Hydrencephali gradum notantibus admodum aliena reperiuntur, et eadem profecto copiosa, sine ullo omnino indicio malo, adsit.

XXVII. Opinio Doctoris Quin hac de re, jam experientiâ et observationibus plurimorum medicorum magni nominis benè confirmata, haec est: "The disease in question always owes its origin to a morbid accumulation of blood in the vessels of the brain,

---

[q] Whytt on the Dropsy of the Ventricles of the Brain, p. 31.

sometimes proceeding to a degree of inflammation, and generally (but not always) producing an extravasation of watery fluid before death."[r] Res haud paucae in morbi decursu ad hanc sustinendam multum conferunt. Sub initium inflammatio manifeste ostenditur, et cadavera dissecta eam adhuc magis probant, scilicet, vasis cerebri admodum turgidis, adhaesionibus inter ejus membranas, hisque crassioribus, et lymphae coagulabilis effusione factis. Haec omnia sine fluido in ventriculis effuso interdum fiant, quod tamen verisimiliter, ut Gregory arbitratur, accidisset, si modo per paucos dies amplius aeger vixisset. Requiratur forsitan, quare, si malum reverà ex inflammatione pendeat, omni exemplo ne hujus indicia se manifestant; cui responderi potest, mortem accidere et cadaveris sectionem fieri tempore, quo omnes ferè ejus notae evanuerint, et nihil nisi fluidum effusum apparuerit. Juvantia quoque et laedentia hujus ac inflam-

---

[r] Treatise on Apoplexia Hydrocephalica, by C. W. Quin, M. D. p. 43.

mationum aliarum eadem inveniantur, etenim stimulantia semper eum augent; contra, sanguinis detractio et regimen Antiphlogisticum leniunt; et sanguis missus crustam coriaceam albam praebet. Neque hydropes alibi in corpore Hydrencephalo eveniunt, neque hic illos unquam comitatur, quod, si hydrops verus sit, accideret. Quoddam hic sit observare, effusionem in ventriculis ab inflammatione factam haud esse insolitam; nam idem caeteris partibus, nempe peritonaeo, pleurae, tunicae vaginali testis, ligamentis artuum capsularibus inflammatis, frequentissime supervenerit. Inflammatio etiam, Doctoribus Blackall et C. J. C. Grapengiesser[s] quibusdam hydropis generibus antecessa probatur. Hic medicus sane species hujusmodi duas exposuit, quae, quoad causas, facies post mortem patefactas, et curationem, sunt valde similes conditionibus corporis, nempe robustae et debilitatae, in quibus Hydrencephalus occurrit.

---

[s] Vide Duncan's Annals of Medicine, vol. i. p. 176, et Rush's Med. Inq. and Obs. vol. ii. p. 165.

XXVIII. Infirmi et a morbis debilitati eum frequenter experiuntur, quod, primo aspectu, opinioni jam dictae nonnihil adversari, et contrariae potiùs favere, videretur; atqui recordandum, quamvis debilitas quibusdam morbis adesse videatur, tamen actionem vásorum extremorum morbidè auctam existere, et saepe iidem intestinorum irritationem a faecibus accumulatis relinquunt, quae marasmum, Hydrencephalo amicum, vel, ut supra dictum, directe hunc ipsum, inducat; quoque, plethorâ haud existente, inflammationem cerebri vel congestionem fieri posse, ut Doctor Garnet planè docuit. " I am convinced that there often exists, not only in this disease, but in some others of the inflammatory kind, a local inflammation without much sthenic diathesis."[t] In memoria etiam tenendum est, plus sanguinis ad cerebrum in morbis febrilibus, praesertim pueris, propter id pro rata parte grandius, mitti.

XXIX. Actionem in eo organo sui gene-

---

[t] Med. and Physical Journal, vol. v. p. 128.

ris habere Cheyne maluit, et ab omni statu hactenus relato diversam; sed quaenam haec revera sit, perinde ac natura scrophulae aut syphilidis vera, explanatu difficillimum est. Ante motum sanguinis ibi auctum, quandam excitationem aut mutationem fieri, arbitratur, quam ille, et congestio et effusio sequuntur. "In this disease, there is produced a venous congestion, in addition to, and probably arising from, the increased arterial action: that the effusion of serous fluid arises from this venous congestion: that this effusion has a tendency to counteract the baleful effects of the increased action, and to retard the fatal termination of the disease; of course, that the effusion into the ventricles is not the cause of the violent symptoms; and that the increased arterial action, though perhaps varied, does not cease when the congestion and effusion have taken place."[u] Haec sententia ab illa Doctoris Quin parum differt.

XXX. Dominus Abernethy functiones cerebri multum imminui posse, sine ulla visi-

---

[u] Essay on Hydrocephalus Acutus, by J. Cheyne, M. D. p. 59.

bili laesione, putat, et ad hoc probandum, casum Hydrencephali,[v] in quo, cerebro post mortem inciso, nihil praeter naturam percipi posset, citavit. Haec excitatio apud eum esse causa incitatae arteriarum actionis videtur, nam dicit, "That much nervous irritation in any part, generally excites vascular action."[w] Ex jam dictis, opinio Doctoris Cheyne fidem maximam mereri apparet, nec parùm eò confirmatur, quòd multa cerebri mala, structurâ haud laesâ expertissimo Anatomico detegendâ, necent.

XXXI. Non ignoro huic objectum fuisse, et alias in locum suggestas; de his attamen, hujusce dissertationis limites ne fusiùs hic disserere permittunt, nec ita facere necessarium videtur, quum, me judice, ex propositis, morbum, saltem inter initia, inflammationem habere, aequum est concludere.

---

[v] Surgical Observations, p. 206.
[w] Ibid. p. 120.

CAP. VIII. RATIO SIGNORUM.

XXXII. Nunc decet ut rationem quorundam malorum inter hunc morbum eminentium, quantum potuero, reddam, cùm ex horum explicatione justa, magnopere pendebunt medendi consilia. Omnia signa ex diverso ejusdem causae gradu, scilicet, pressurae vel distentionis cerebri per aquam in ventriculis factae, oriri, malè a Doctore Whytt explanantur; praesertim, ingruente morbo, ubi nulla effusio adest; neque reverà haec unquam talia tum existentia edit.

XXXIII. Doctor C. Smyth, ut partim ad pressuram, partim ad irritationem, e membranis ventriculos obducentibus distentis, ortam, referantur, ostendere conatus est; sed huic pariter objiciatur, nullam effusionem esse.

XXXIV. Principio ad excitationem et inflammationem cerebri attribuenda sunt cuncta symptomata, quod, his inflammationis aliis causis natae similibus, magis probabile reddi-

tur. Febris symptomatica, dolor capitis acutus, oculorum et vultûs rubor, pervigilium, lucis et soni intolerantia, arteriae temporales et caroticae fortius micantes ab eadem causa pendent. Nausea et vomitus partim organis concoctionis vitiatis, partim ventriculo statûs cerebri morbosi participe, nasci videntur. Torpor alvi ingens, fellis et aliorum in intestinis fluidorum defectu, et etiam per stadium provectum, pressura in cerebrum oritur. In his quidem stadiis omnia pariter ac in apoplexiâ, et depresso cranio, a pressura originem ducunt. Pressura demum ipsa a congestione primùm, deinde effusione gignitur, atque stuporem, surditatem, pupillas patulas, aliquorum oculi musculorum paralysin, unde strabismus, caecitatem, pulsum tardum, irregularem, et spiritûs difficultatem et stertorem, efficit. Pulsus in ultimo gradu, frequentissimus et debilis, ingentem pressuram aut debilitatem,[x] causam agnoscit, cui, postremo, convulsiones invitaeque dejectiones jure dantur.

---

[x] Smyth, p. 55.

CAP. IX. DIAGNOSIS.

XXXV. Medicorum plurimùm, neque certè minùs aegrorum interesset, si semper hunc inter et morbos alios diagnosin certam facilè et maturè instituere fas sit, eoque magis, quod in effectibus periculosissimus, et in ejus accessu, malorum fere maximè insidiosus reperiatur, quibus corpus humanum patet, et quod, nisi nascentem, vix unquam eum sanare liceat.

XXXVI. Sub initio autem, infeliciter, indicia saepe tam ambigua sunt, et similia iis morborum aliorum, ut medicus, utcunque sagax, ne certa fide quid mali instet, statuere possit. Signa in gradu provectiore prorsus manifestè notantur, ita ut de natura ejus vera, nullus confundendi locus maneat. Nullo per se sed omnibus simul conjunctis de eo aliquid pro certo, judicare possumus. " Many of the symptoms which constitute the disease called Hydrocephalus, occur in children who have worms in the primae viae; and the diag-

nosis between the remittent or abdominal fever of children, and Hydrocephalus acutus, is in many cases difficult and doubtful. There is hardly, indeed, a symptom of Hydrocephalus, which may not also be observed to occur in cases of worms, and of infantile remittent fever; and it is rather by a nice attention to the series and order of the occurrence of the symptoms, and to the mode in which they are grouped, than by the exclusion of any one of them, that we can establish their diagnostic differences."[y]

XXXVII. Siquando cuiquam caput multum doleat, et ei manum suam frequenter admoveat; si in lecto se continere malit, et molestiae multae sensum a situ erecto habeat; bis terve in die vomat; alvus pertinaciter adstricta; febricitet et sitiat; pulsus incitatus; lucem minimè toleret; et subindè, neque haud somniis diris turbatus dormiat, vehementer exclamet; porro, si nihil beneficii a vomitorio vel cathartico exhibito experiatur; parentibus strumosis natus sit;

---

[y] Edin. Med. and Surg. Journal, vol. xi. p. 480.

magisque adhuc si quisque fratrum ob Hydrencephalum fata passus fuerit, nemo de morbo vix dubitare queat. In tali casu semper certè oportet, ut remedia efficacissima, haud aliter ac adversus morbum verè formatum praescripta, statim adhibeamus; etenim, ut auctor, quem alibi citavi, bene monet, "If we are to wait until the general system becomes greatly disordered by the affection of the brain, to form a decided diagnosis, I fear we shall often be disappointed in the wished-for effects of our prescriptions, however ardently desired, or however judiciously directed."[z]

1. VERMES IN INTESTINIS HABITANTES.

XXXVIII. Mala quae Hydrencephalum comitari solent, etsi quodammodo similia, multò graviora, quam illa vermes in intestinis, observantur. Differentias quantum potuerim, quales hic subesse videntur, nunc exponere conabor.

---

z Yeats, p. 6.

XXXIX. Convulsiones imprimis nunquam in Hydrencephalo occurrunt, nisi per stadium ultimum, et tum alterum corporis latus solum plerumque agitant, dum solvatur alterum. Hae verò, quum adsunt vermes, partes singulares et utraque latera rapiunt. In hoc quoque dolor caput totum, et nonnihil lenior, quam in illo, quo acutissimus et partem ferè singulam, afficit. Abdomen a vermibus durius magisque tensum, et huic quam capiti dolor acutior sentitur. Hydrencephalicos vomitus frequens et vehemens, cibique saepe fastidium fatigant; vermiculosi contra rarissime et manè tantum, ventriculo depleto, vomunt; eorum spiritus foetidus, et appetitus ultra debitum est auctus; oculorum pupillae quamvis dilatantur, haud lucis impatientes, neque aures tinniunt, nec membrana narium mucum solitum, ut illis, non secernit. His etiam alvus varia, nunc cita, nunc tarda est, et remediis exhibitis facile respondet; dejectiones magis naturales, subalbidae, glutinosae et mucosae conspiciuntur. Conditio illis diversissima accidit, et quae dejiciuntur adeo sunt propria, ut nomi-

ne "hydrocephalic stools," Doctor Cheyne ea distinguere est inductus. Haec parca, viridia aut nigra, odoris valde foetidi, ex muco intestinorum et felle malè formato constantia, descripsit. Vermes, praesertim ascarides, calorem et pruritum circa anum excitant. Pulsus et, quamvis ferè incitatus, interdum tardus, irregularis fit, febris multo lenior, cutis frigidula, quae in Hydrencephalo, quâcunque vi sanguis propellatur, semper praeter naturam calet.[a] Nullum certè testimonium haberi potest morbum ab iis oriri, si vermes inter vomendum vel desidendum ejiciantur, isthoc cum altero morbo ita sit, a quo denique remissionibus multò brevioribus aegri fruuntur.

2. DENTITIO.

XL. Hujus affectûs indicia magis manifesta, quam ea illius jam recensiti, et facilius sunt detegenda. Os dentitione laborantibus

---

[a] Whytt, p. 29.

calidum et plus solito madidum; contra, morbo proposito, salivâ suppressâ, aridum est, sed non, ut illis, quorum gingivae rubrae et tumidae hoc probe ostendunt, dolet. Observationes jam prolatae, de convulsionibus et multis aliis signis, imprimis alvi statu, a vermibus in intestinis nidulantibus ortis, dicendo, huc etiam, nimirum diarrhoeâ saepe torquente, pertinent.

XLI. Pupillae dentientibus nunquam praeter solitum aperiuntur, nec lux admissa quidquam molestiae facit; eruptio verò plerumque super cutem adest. Postremo, omnia mala hinc exorta, incisis gingivis, citò fugantur.

3. FEBRIS INFANTIUM REMITTENS.

XLII. Similitudo hic tanta existit, ut in stadio saltem primo, dignoscere est difficillimum; sequentibus tamen probe perspectis, discrimen aliquatenus patebit. Remissiones magis regulares et manè plurimùm notatae, exacerbationes vespertinae graviores se mani-

festant; lucis intolerantia, strabismus, clamores subiti, manuum circa caput jactatio, nulla conspiciuntur. Vomitio et dolor capitis mitiores, et hic ab illa vel sublevatus vel penitus sublatus est. Alvus frequentius dura medicinis facilè solvatur, et dejectiones nigricantem fuscum vel luteum colorem praebent.

4. TABES MESENTERICA.

XLIII. Abdomen durum, tumidum, et cum accuratè exploratum plurimi tumores parvi percepti; stercora, chylo commisto, subalbida; macies insignis, et interdum febris hectica; dolor capitis vomitusque nulli, vel rarissimè existentes; pulsus frequens et debilis, cujus varietates in Hydrencephalo observandae nunquam occurrentes, diagnosin promptam reddunt.

XLIV. Caries demum quae temporum ossa puerorum strumosae corporis constitutionis interdum erodit, cum hoc malo confunda-

tur.[b] Illa autem, pariter ac aliae fabricae cerebri laesae affectiones omnes, multo lentius progrediuntur. Ante ejus accessum partes auris internae semper suppurârunt; et dolor fixus, interdum inflammatio et tumor pone aurem; glandulae cervicis tumidae; maxillae junctura rigida, neque caput sine multo dolore movendum, qui a vertice usque ad processum mastoideum tendit, eam comitantur et facile distinguunt.

CAP. X. PROGNOSIS.

XLV. Hoc malum omnibus in exemplis et stadiis, gravius, valde periculosum, et rarissime medicabile est habendum; quod profecto nil mirum cum cerebrum ex organis machinae animalis maximi momenti et utilissimum, ejusque fabricam sanam et naturalem, et functiones tam vitae necessarias esse, reputemus. Quidam haud parvi nominis medici per omnia morbi tempora, et in

---

b Cheyne, p. 55.

aegris cunctis omnino immedicabile, eosque, qui ad sanitatem esse redactos dicuntur, ne ab eo revera laborâsse proposuerunt. Alii quoque, nec sanè non celeberrimi, exempla haud perpauca aegrotantium, qui, remediis natura et viribus admodum etiam diversis, sanari videbantur, literis mandârunt; tamen confitendum est, ut a medico vel expertissimo hunc inter et alios affectus nonnunquam ob similitudinem confundatur; et hinc fortasse error de morbo sanato interdum natus fuerit.

XLVI. Prognosis adhuc post multa experimenta et observationes de industria factas, nunquam non infausta statui potest, nisi jam ingruens, quo tempore etiam remedia efficacissima haud raro frustra exhibita fuerunt. Imprimis verò, cùm capitis affectio prae aliis maxime urget, vix benè sperare liceat, quamvis morbus in stadio secundo, et, ut quidam ferunt, etiam in tertio sublatus esse videbatur.

XLVII. Secretio narium antea suppressa rediens; caput haud multum dolens; fluxus sudoris, praesertim circa caput, et urinae pro-

fusus, ferè boni ominis existimantur. "When the urine, after giving mercury, flows very freely, I consider it a very favourable prognostic."[c]

XLVIII. Clamores subiti et vehementes, qui magnum capitis dolorem ostendunt, malum signum considerandum est, eò autem meliùs, quò seriùs fiunt. Alia infausta enumerantur surditas, strabismus, visus duplex, pulsus admodum tardus et irregularis, comate cum altissimo. Nonnulli tamen his omnibus affecti, iis remediis, quae adversus effusiones aquosas praescribi solent, exhibitis, aliquando convaluêrunt.[d] Pulsus denique frequentissimus, debilis et regularis factus, caecitas, convulsiones, evacuationes stercoris et urinae invitae, respiratio difficilis et accelerata, ipsam vitae arcem pulsare mortem admonent.

CAP. XI. RATIO MEDENDI.

XLIX. Ad eam partem opusculi longe gravissimam, nunc advenimus, et omnes de

[c] Cheyne, p. 87. Note. [d] Yeats, p. 79.

vitii naturâ et causis indagationes, ut in omnibus morbis, necessario solum pretio sunt, quatenus ad hanc meliùs intelligendam et laete tractandam, contulerint; sed heu! adhuc dolendum, saepe diligentiam ita eludere, ut existere haud sanandum, cognoscatur.

L. Remedia ex jam dictis quo citius exhibita, eò magis valere plane perspicuum est, vero etiam seriùs non omnino saluti desperare licet, et omnia quae subsidium ullo modo promittunt sedulo administranda sunt. Omnes autem, Hydrencephalo minimùm similes affectus, qui pueros tam saepe infestant, maximâ curâ observare nos oportet; et si quicquid dubii existit, illa remedia quàm promptissimè exhibere, qualia adversus hunc morbum plurimùm possent; quoniam hoc in aliis vitiis deceptos frequenter fecisse praestantius foret, quam illum semel adeò neglexisse, ut tempus eidem medendo aptissimum irrevocabile praetereatur; eòque magis, quod medicamenta in illo plerumque praescripta pariter his conveniant, saltem nullum incommodi afferant.

LI. Auxilia secundum mali tempora et

violentiam nonnihil diversa reperiuntur ; consilia vero medendi haec praecipua sunt.

1. Irritationem et actionem in visceribus abdominis morbosam, quae per consensum vel morbo ortum praebere, vel eum augere possint, moderare aut tollere.

2. Actionem cerebri vasorum mutare, et fluxum sanguinis caput versus auctum imminuere.

3. Vasa resorbentia ita stimulare, ut aqua in ventriculos effusa quamprimùm exhauriatur.

4. Postremo, aliis molestiis, ut forte oriantur, diligenter occurrere.

LII. 1. Primum est ut ea, quae stadiis singulis sint accomodata, exponantur, et igitur imprimis de actione in visceribus abdominis aucta arcenda vel sopienda dicere oportebit. Ad hunc finem hirudines regioni ventriculi et jecoris, et cucurbitulae cruentae magno commodo statim applicentur.

LIII. Emetica a quibusdam multum commendata fuerunt, verò cùm a nixu vehemente inter vomendum sanguine ad caput fortiter appulso, ejusque simul reditu impedito, quo-

dammodo noceant; et cum cathartica eosdem effectus, sine eorum noxiis praestent, illa fortasse his haud malè locum cedant.

LIV. Purgantia autem ita cum medicamento alterante conjuncta statim adhibenda sunt, ut non alvus tantum solvatur et intestina exinaniantur, sed actio quoque magis salutaris in his et eorum glandulis inducatur; et certe cum sanguinis detractione ad inflammationem jecoris sistendam egregie prosunt; quo fit ut fel magis sanum, et copiae justae secernatur, res ad alvum bene ciendam tam necessaria. Ex his perspicuum sit, horum mutationem, diversis canalis partibus stimulatis, utilem fore. Catharticorum etiam est, salium praecipuè mediorum, effusionem humoris tenuis copiosam in intestina efficere, massam sanguinis circumeuntis imminuere, ideoque cerebrum compressum sublevare, et auctam ejus vasorum actionem compescere. Porro validiora, et eorum doses satis magnas alvus admodum torpida fere tolerat, priusquam plenè respondeat. Sub-Murias Hydrargyri cum Aloë, Jalapâ, Gambogiâ, Scammoniâ, vel Colocynthide mistus, ad hunc finem

optime valet, et nunquam solus praescribi debet, quia sic exhibitus constipationi potius favet, et sane Doctor Yeats putat, eum semper ferè lethum esse arcessiturum. Horum in usu tamdiù perseverandum, quamdiù torpor ventri adsit, et dejectiones haud naturales proveniant; neque debilitatem timendum, nam materiam corruptam expellendo, corpus plane roborant, non infirmant purgantia. Per totum morbi quidem cursum haec, sales medii imprimis, utilia et necessaria reperientur, quòd qui non tam corpus, quam resinosa stimulent; pauca tamen Sub-Muriatis Hydrargyri grana omni nocte minime intermittenda sunt.

LV. Antimonium vel Ipecacuanha quodammodo intestinorum irritationem sopiunt, et distributionem sanguinis per totum corpus magis liberam, et sudorem promovent; igitur negligi non merentur.

LVI. 2. Remedium, ad indicationem secundam implendam, potentissimum et praesentissimum est Sanguinis Missio. Si aeger florentis aetatis vel robustus sit, et morbus in

stadio inflammatorio vehementer urgeat, detractio ejus generalis anteponenda est, et vel e brachio vel vena jugulari, vel arteria temporali emittatur. Quin et orificio magno celeriter, quam parvo lentius elicitum, duplo vel amplius praestiturum, novisse juvat. Quod si brevissimè natus, aut habitus corporis generalem vetet, hirudines et cucurbitulae cruentae capiti vel collo posteriori applicendae sunt, quae, vasis vicinis depletis, multum beneficii praebere possint; illa quidem, si necessaria fuerit, simul cum his magis proficiet. Ejus repetitio secundum effectus, pulsus, aetatem, viresque, et mali vehementiam instituenda est; verò plerumque parum idoneum erit missionem generalem, propter debilitatem inducendam, iterare. Corpus demum Hydrargyri et Vesicatoriorum actioni magis aptum reddit.

LVII. Vesicatoria multum praescripta fuerunt, et ut auxilium eximium laudata, imò verò a quibusdam sola morbum sanâsse dicuntur; alii dubia et incerta opinantur. Ante eorum applicationem, aliae exinanitiones semper praemittendae sunt. Non tan-

tum exinanitione facta, quantum partem irritando, et copiam sanguinis majorem illuc dirigendo, et igitur a cerebro derivando, prosunt; quâ de causâ, collo posteriori imponenda sunt; ibi quoque non capiti frigus admoveri prohibent. Quidam profecto illa ad crura suaserunt. Pars sic lacerata, unguento Sabinae vel Tartritis Antimonii, vel aliis medicamentis idoneis, ut pus per aliquod temporis effundat, debemus efficere, vel quod fortasse praestaret, Epispasticum iterum iterumque parti denuo sanae admoveatur. Doctor C. Smyth exulcerare, nitrate argenti frequenter illato, bregma, uti certius et his potentius commendavit. Simul atque haec capiti, calefacientia, veluti Sinapeos cataplasmata, partibus extremis sunt convenientia.

LVIII. Sanguini nimis copioso caput versus affluenti, situ, quantum commodè fieri potest, erecto, probe obsistitur, et frigore, veluti nive aut aqua frigida, sine vel cum Aethere aut Aceto, eidem abraso constanter applicato. Artus simul inferiores panno laneo, vel subinde balneo tepido calidos conservare

necesse sit, adhibitâ curâ, ne frigus id subito acciperet.

LIX. Digitalis aliis consiliis, prout malum progressum fuerit, nunc scilicet ut sanguinis impetum imminuendi proprium insignem effectum producat, nunc ut vasa resorbentia stimulet, et aegrum micturire efficiat, illo igitur in primo, hoc autem in provectioribus, exhibetur. In diversis hominibus admodum variè pollere observatur, ideoque cautissimè dari oportebit ; corpus vero totum in Hydrencephalo, ut omnibus fere stimulis, sic etiam necessario digitali insigniter haud sentiens fit, quapropter dosis in aliis morbis vix non lethales effectus praestitura, nihil omnino agat. Primum quantitas parva concedatur, deinde ad nauseam, purgationem, pulsum tardiorem factum, vel auctum urinae fluxum, idonea ejus interdicendae signa, augeatur. Quaedam in stadio secundo vel stuporis, ea, quae digitalis facit, referunt, et diligenter distinguenda sunt; cùm hujusmodi errore ab usu desistere inducamur, ubi morbus eum maxime postulat. Utrisque pulsus

tardus et irregularis est ; a Digitali verò parvus, acer, ingensque languor, vertigo, oculorum hebetudo, vel visus privatio brevis fiunt; ab Hydrencephalo pulsus mollis, inaequalis, plenior, et languor magis comati similis conspiciuntur. Nondum satis exploratum fuit, ut nonnulli putârunt, num ad malum summovendum sufficiat, et idem Doctori Gregory[e] constat, quia non tempus ad actionem debitam efficiendam dari opinatur.

LX. 3. Si remedia modò recensita ad morbum arcendum minus valuerint, et signa stadii secundi tandem supervenerint, versimile est, vel effusionem jam esse factam, vel inevitabilem ; quare quae ejus resorptionem optime promoveant, illico praecipienda sunt. Epispastica et Purgantia validissima, imprimis salina, requiruntur ; Hydrargyro autem fidem medici plurimum dedêrunt, et testimoniis auctorum gravissimorum, multo efficacius quam aliquid fere medicamenti apparet. Saepe quidem morbum admodum provectum pe-

[e] Audi Praelectiones.

nitus sustulit; quod si non ita faciat, saltem ad molesta mitiganda, nimirum nervorum distentiones solvendas, mentem magis sanam reddendam, et etiam mortis semitam ipsius, brevi certe venturae, leniendam, magno usui reperitur. Hujus metalli Sub-Murias plerumque interne exhibetur, et in quantitate magna, donec non ventriculum vel intestina afficiat, frequentius repetatur, cui effectui opio occurrendum est; simul paululum unguenti Hydrargyri in parte cutis aliqua, sexta vel octava quaque hora, inungatur. Gingivas Calomelane, ut saliva copiosior eliciatur, nonnulli perfricuerunt; hic tamen observandum sit, actionem metalli in corpore fieri posse sine hujusmodi fluxu, neque quem, hoc modo provocatum, eam esse generalem certe ostendere; itaque huic parum fidendum. Pueri sanè, praesertim Hydrencephalo affecti, propter torporem corporis universi, ab eo medicamento praeter solitum haud facile salivant; nec, hoc pleniùs effecto, aegri semper convaluerunt. Conjunctum cum aliis rebus, veluti Digitali, Scilla Maritima, cui prae omnibus

Doctor C. Smyth,[f] quatuor sic sanatis, duobus levamen acceptis, fidem posuit, multo potentius pollet. Doctor Monro Secundus[g] ea praescripsisse frustra videtur; periclitari autem amplius monuit. Sub-Murias cum pulvere Antimoniali in paucis casibus pessimis multum profuisse dicitur. Oxidum Zinci, ut Doctor Quin memorat, urinam augendo, quendam sanavit, sed ab experimentis postea factis, parum commodi possidere ille reperiebat.

LXI. Diaphoretica interdum nonnihil prosint, nam quae strabismum tollere, et stuporem quodammodo sublevare, Doctor Gregory se vidisse testatur.

LXII. Vix Errhina, et Auram Electricam numerare licet, quia rarissimè, si unquam, quicquid proficiant.

LXIII. 4. Aliquae mala, quae hunc morbum comitantur, nonnunquam adeo saeviunt, ut aegrotans vix omnino tolerare queat; quibus singulis, quantum potuerit, obstare medi-

---

f On Hydrencephalus, p. 73.

g Vide Three Treatises, on the Brain, the Eye, and the Ear, p. 63, 64.

cum decet. Doloris capitis ingentis remedia idonea sunt Sanguinis Detractio, Vesicatoria, Purgantia, frigus admotum, et Opium, quod non huic tantum proficit, sed ventriculi quoque tumultum quodammodo compescit, et Argenti Vivi effectum purgantem non sinit. Aegro autem a comate laboranti haud convenit. Haustus effervescens ex acido citrico et supercarbonate potassae cum tincturae opii guttis paucis ad nauseam et vomitum sistendum perutilis erit, dummodo alvus antea bene purgata fuerit.

LXIV. Raris in casibus, medicinâ parum adjuvante, in sanitatem desiit; cujusmodi exemplum a Doctore Watson memoratur, in quo nihil ferè praeter vesicatorium, quod nullum beneficii praebere videbatur, etenim signa omnia deteriora per aliquot dies urgebant, adhibitum fuit; unde sequentem observationem protulit, "It may sometimes happen, as in the present instance, that nature, though but moderately assisted, will enable the sick to struggle through diseases beyond our most sanguine expectations."[h]

---

[h] Med. Obs. and Inq. vol. iv. p. 324.

Tamen confitendum est, tale exemplum rarissime accidere posse, et certè nemo sanus, mali tam dirissimi curam naturae soli committeret.

LXV. Si inflammatio adhuc urgeat, parum cibi, ejusque generis levissimi, et concoctu facillimi, missis carnibus omnique potu stimulante, concedendum est. Illâ superatâ, et debilitate secutâ, victus magis nutriens, veluti panada, juscula, et gelatinosa animalia, etiam vinum meracius, quod, siti vexante, aqua diluatur, ut vires sustineantur, usurpari, et aegro subinde, quamvis invito, porrigi debent.

LXVI. Ne morbus redeat, si demùm eum fugare feliciter potuerimus, roborantia et aperientia, puta Cinchona, Colomba, Ferrum, et Rheum, quod et roborat et purgat, pro tempore usurpanda sunt; crebra exercitatione, balneo calido, levique cibo utendum, coeli ab intemperie sedulo cavendum.

CAP. XII. DE PROPHYLAXI.

LXVII. Cum a morbis praecavere quam inchoatos depellere, meliùs semper est, illorum corpora ad hunc quocunque modo proclivitatem habentium, ut accessus evertatur, quam maximè firmare oportet; et balneum frigidum, exercitatio sub pleno Jove crebra et modica, victus nutriens et concoctu facilis, optima, hoc consilio, exhibentur. Diaeta quidem et magis alvi status imprimis attentionem vindicant, quae si vel minimùm constricta, aut dejectiones haud naturales fiant, purgantia statim praescribi, et ad naturales redditas iterari, debent. Ne vis capiti inferatur sedulo cavere intererit. Fonticuli commodè excitentur;[i] imo vero pueri quibus instituebantur morbo prorsus caruisse feruntur, dum alii ejusdem domi, his neglectis, in eum incidebant, et infeliciter jugulabantur. Porro, quod ad fonticulos, verbis

---

i Audi Praelect. Professoris Gregory de Hydrencephalo.

Doctoris Cheyne, concludere fas sit, quae, non solùm eorum utilitatem in morbo praecavendo, sed etiam naturam ejus hereditariam, probè docent. "In ———, ten children of the same parents died of water in the brain; in the eleventh and last, by the advice of an eminent surgeon, lately deceased, an issue was established. This child grew up, and became the mother of fifteen children. Seven of these children, in whom issues were not made, died, with all the symptoms of Hydrocephalus. Eight children were alive in 1814, in six of these, issues were made at an early age, and in one of the others, at the time I received my information, an issue was resolved upon, in consequence of a threatening of Hydrocephalus."[k]

[k] A Second Essay on Hydrocephalus Acutus, by J. Cheyne, M. D. pag. 14.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.

CORRIGENDUM.

P. 8. L. 10. a capite, *pro* existunt *lege* existant.